

VIR VIRIDIS

CARMEN.



VIR VIRIDIS

LIBROS PRIMUM ET ALTERUM

È GALLICIS VERSIBUS D. GRESSET

AMBIANI POETÆ,

*In Latinum Carmen transtulit CAROLUS
ALEXANDRE Ambianus, Ambianensis
Lycœi Alumnus, in primâ Latinitatis
Scholâ Auditor, Annos duodecim natus.*



AMBIANI,

Excudebat F. CARON-BERQUIER, Curiaë superioris
nec non Academiaë Ambianensis Typographus.

ANNO 1809.

VIR VIRIDIS

LIBER PRIMUS.

A D A B B A T I S S A M D***.

Tu, quam continuo charitum chorus orbe coronat,
Quæ fulges mundi insano secreta tumultu,
Quam lepor arte micans nullâ, quam dives adornat
Natura, austeris socians virtutibus ~~me~~ *acce*
Ingenium, dulcesque jocos, vultusque serenos;
Illustris vitam volucris, miserandaque fata
Scribere cum jubeas, operi, precor, annue tanto.
Tu mihi, Musa, fave, concentus dirige nostros,
Illecebrasque rudi indulgens trans mitte poetæ
Queis, tristes olim solans testudine amores,
SULTANÆ nomen sylvas resonare docebas,
Sultanæ nimis heu! teneræ sub tartara missæ.
Ast etiam Herois longa infortunia nostri
Elicient lacrymas; fatis corrupta nefandis
Virtus infelix, cursus errorque volucris
Longus, Odysseæ complerent carmina vastæ,
Carmina lectori somnos vicena cierent,
Fabellas si musa loquax garriret aniles,
Æneamque meum funestâ sorte celebrem
Psalmorum modulis lamentaretur, in annos

Lentè producens unius tempora mensis;
 Longius at cærmen fastidia longa sequuntur.
 Namque ut melliferæ, redeunti vere, cohortes
 Per pratâ incertæ volitant floresque vicissim
 Purpureos libant: juvat et volitare Camænas.
 O! istas utinam servent mea carmina leges!
 Parce mihi, quæso, si, vates verior, umbras
 Avertam et tenebras cærens secreta recludam,
 Artem colloquii, mysteria vana sororum,
 Clathrorumque graves nugas, tricasque verendas.
 His tu non servis; tu nescia moris inepti
 Tale jugum abrumpis, species non pascit inanes
 Officij metis tua mens contracta: precantùm
 Compositæ frontes nunquam placere Tonanti,
 Sed justij obsequium cordis, sed pura voluntas.
 Cum terras humiles virtus cœlestis adibit,
 Non cultu artificij veniet, non fronte superbâ,
 Illa tuo incedens habitu Charitumque decora
 Illecebris, hominum laudes arasque merebit.
 Plurima me longos docuère volumina cursus
 Fatales fieri; virtus abducta per orbem
 Discedit, vaga que errorem sors sæpius infert;
 Quod si nil opus est vastum percurrere mundum,
 Cur blandos linguam, tam dulcia tecta, penates?
 Ah! potius casalis et culmo tectus agresti,
 Virtutem asservans maneam, quàm dissita lustrans
 Littora, funesto procumbam victima casu,
 Aut rediens vitia in patriam peregrina reportem.
 Sit mihi dictorum testis fortuna volucris,

Æternūmque istos doceat non quærere cūrsus.
 Vos qui veriloquo dubitatis credere vati,
 Auscultate meo resonat plangore Nivernum.

Psittacus Eois vivebat missus ab Indis
 Cui Benedictinæ nomen posuere decōrum
 VIRVIRIDI, cujus generosum pectus, et artes
 Immeriti accusant fatum crudele rigoris,
 Et quem prosperior, certè fortuna manebat,
 Si morosa bonis semper fortuna faveret.
 Ergo sacrâ tener et juvenis translatus in æde
 Pictis versicolor fulgebat psittacus alis,
 Ludebatque levis, radianti fronte coruscans,
 Ingenūus, liber, procul omni criminis umbrâ,
 Verbosis charus dominis sermone loquaci,
 Et talis verè dignissimus incola claustrî.
 Non opus est, credo, assiduas describere curas
 Cœnobii: sanctusque *Pater* felixque volucris
 Jam tunc ardorem sibi divisere sororum.
 Quin etiam perhibet, (si fas est credere,) fama
 Pœsthabito *Patre* complures curasse volucrem.
 VIRVIRIDIS dulces cœpit gustare liquores
 Quos attentarum semper pia dextera matrum
 Sacris visceribus *Patris* stillare solebat,
 Sic permissus amor fallebat tædia longa,
 VIRVIRIDEMQUE omnes imo sub corde fovebant,
 Si tamen excipias rugosâ fronte trementes
 Matronas quarum furor invidiosus et acer
 Ore juventutem lætam crepat usque molesto.
 VIRVIRIDIS nondum maturâ ætate, licenter



Aut agere aut fari poterat quodcumque luberet,
 Omnibus arridere oculis, omnesque juvare
 Haud dubius: solitum volucris lasciva sororum
 Permulcebat opus, rostro velamina tundens,
 Vittas percutiens rostro. Non vera voluptas,
 Nullus erat ludus, nisi mille coloribus alas
 Ostentans omni volitare ex parte veniret
 Psittacus illudens; si percontator adesses,
 Pectore foecundo responsa repente fluebant;
 Utque simul scribis, vario sermone, quaternis
 Dictavit, (famæ si fas est credere,) Cæsar;
 Sic omni volucris referebat justa petenti.

Quin etiam, mensæ admissus conviva frequenter
 Communi accubuit, turbâ stipante sororum;
 Escas hic molles, hic undique sacchara, coptas
 Continuâ seriè mox affluxisse videbat.

*Postquam exempta fames epulis, mensæque
 remotæ,*

Crustala, deliciæ nunquam satlabilis alvi
 Dulcia non parcis manabant mûnera dextris:
 Curæ etenim molles, jucunda cupedia quondam
 Hic Benedictinas, fama est, habuere parentes.
 Senserat id vigili circumdatus undique curâ
 Psittacus, et, quamvis blandiri haud inscia, nunquam
 Regalem fovit studiosior aula volucrem.
 Pectora cuncta novus sibi conciliaverat hospes;
 Otia securus carpebat dulcia nullis
 Intermissa moris. Locus est impervius omni
 Phœbo; cuique suum datur hic conclave sorori.

hic veneranda etiam curabat membra volucris ,
 Omnia VIRVIDIS visebat strata vicissim ;
 Illa etiam cujus , redeunti nocte , quietum
 Forte torum indulgens cœmmunis adibat amicus ,
 Illa suo mater prodebat gaudia vultu.
 Secretæ volucrem vetulæ non sæpe tenebant ;
 Oderat antiquas : sed virgo venustula lætum
 Simplicis haud rarò zetæ accipiebat in umbrâ
 VIRVIDEM , quocum posset glomerare loquelas.
 Nocturnam simul ut juvenis delegerat ædem
 Anachoreta sibi , dum Lucifer æquora fulgens
 Desereret , capsæ volucris sopita jacebat .
 Quâ tegere effigies pietas est sueta sacratas ,
 Effigies agni , multo quas servat honore .
 Discedebat ubi tranquillo à pectore somnus ,
 Omnia transverso cernébat lumine liber ,
 Dum , studiosa suî , muliebri sedula curæ
 Virgo indulgeret ; fas sit mihi talia fari :
 Clathratæ utuntur speculo non arte minori
 Quam quibus argento frons vana auroque nitescit ,
 Et scitæ chlamidis dum curat futilis artem
 Aulicus , ipsa suos attenda exaptat amictus
 Religiosa cohors ; humilemque industria telam
 stamineasque sagax componit dextera vestes ;
 Clathrosque³ et turres , obstacula vana , refringens
 Ludit per vittas lascivum examen amorum :
 Nigrum sponte fluit velum per eburnea colla ,
 Nee soror invitata suos invisit amicos ,
 Quin oculo speculum bis saltem interroget acri ;

Hæc tunc lateant inter nos dicta quid erras ,
 Musa , quid incæptos levis obliviscere casus ?
 Ocyus herois repetas illustria fata .

VIRI ILLI blandæ secretâ in sede quietis ,
 Tædia non norat fera , sollicitosque labores ;
 Cœnobii mentes summâ ditione tenebat .
 Jam passer , Theclâ spernente , dolebat in umbrâ ,
 Jam quatuor rabie vitalem acalanthides auram
 Efflârant : geminæ , quibus omnis adhæserat olim
 Gratia , languebant feles , queis intima livor
 Viscera rodebat consumptaque membra furore .
 Attamen , (heu ! quis tunc cecinisset talia vates ?)
 Hospitis incassum mores animamque colebas ,
 Cœnobium ! ingenuas dotes vitiata volucris
 Exuet . Heu ! quo nunc , elatâ fronte , superbis ,
 Mox , amor ille tuus , tuus ipse videbitur horror .
 Desine triste melos , averte , Camæna , dolores
 Qui modo sacratam muliebria corda per ædem
 Urgebunt , nimix crudelia præmia curæ .

VIR VIRIDIS

LIBER SECUNDUS.

ISTIS, quis dubitet? manibus formata volucris
 Vocis facundo strepitabat prædita dono:
 Et nisi dum lautæ sorberet fercula mensæ,
 Garrulitate suâ, verbosis digna magistris,
 Aures quassabat, libro ferè doctior ipso:
 Doctrinâ bene vivendi conditus honestâ
 VIRVIRIDIS, latæ nondum contagia pestis
 Senserat, et sæclo distans procul, impia mundi
 Sibila vaniloquo nunquam perceperat ore:
 Religiosus erat, (quis non pius incola claustrî?)
 Psittacus; huic fuerat curis collata secundis
 Disciplina. Malum nunquam spiraverat ales,
 Ergo nunquam ales vocem jactare profanam.
 Sed miseras voces æquabant fœnore multo
 Mystica colloquia et solitæ post prandia grates,
 Nugarumque agmen memori sub mente repostum.
 Plurima namque soror gestat defixa cerebro
 Cantica quæ Christum infantem cecinere canuntque.
 Tyro licet volucris, præcepto imbuta frequenti,
 Haud impar coepit proprias æquare magistras,
 Quin sanctos gemitus, lentæ modulamina vocis,

Languentes numeros liquido de gutture fundens
 Fingebat tremulâ gemebundas voce palumbes,
 Cœnobii cives dico sanctamque cohortem :
 Omnia noscebat , noscit quæ sæpe chorista.

Gloria sed claustrî nîmiùm contracta reductis
 Finibus , attonitas latè mox perculit aures.
 Jactabat volucrem fortunatasque sorores ,
 Dum lux effugeret , redeunti nocte , Nivernum ;
 Quin et Mœlini penetravit mœnia claræ
 Laus volucris : juvat ire citò volucremque videre.
 Nunquam colloquii conclavè diserta volucris
 Linquebat ; semper nitidâ per colla fluente
 Fasciolâ , pulchrum soror Augustina ferebat
 VIRVIDEM. Primùm spectantibus illa colores
 Ostentabat avis , corpus , pueriliaque ora.
 Tam felix habitus mentes oculosque trahebat ;
 Fulgebat plumis noster Neophytus et ore ;
 Astubi vox turbæ veniebat hiantis ad aures ,
 Os , plumæ , decor exciderat jam mentibus omnis ;
 Huic novus usque lepos variabat dicta , salesque
 Non intermissi ; quis crederet ? ille frequentem
 Dicens ad turbam somnos non attulit ulli :
 Nullus ibi longos imo de pectore rhonchos
 Edidit : Orator quis de se talia dicat ?
 Laudabant mentem vocum tam rite tenacem ;
 Attamen *ille dolis instructus et arte magistrâ*
 Tunc tumefacta piè conflabat pectora lætus :
 Noverat ille sacros moderatè egisse triumphos.

Omnis ubi fuerat monstrata scientia , presso
 VIRVIRIDIS rostro , multâ gravitate silebat ,
 Et benè compositum volucris sanctissima vultum
 Demittebat humi , turbâque stupente , migrabat ,
 Blanditias solùm , solùm modulata lepores ,
 Interdùmque jocos , nec non mordacia quædam
 Verba , quibus clathri resonabant sæpe sacrati
 Aut quæ sub tectis agitabat turba sororum .

VIRVIRIDIS noster nido conclusus amæno
 Vivebat simul et felix , sapiensque , piusque .
 Hunc non una gravi studio dilexerat Hebe .
 Præpinguis monachus , monachus venerabilis , unus
 Gemmula cænobii , doctrinâ plenus ut abbas :
 Urbanum redolens , habitu exquisitus alacri :
 Felix si nunquam peregrinum littus adisset !
 Semper amabatur , semper benè dignus amari .
 O pudor ! ô crimen ! vox talia fatur abhorrens ;
 Hei ! mihi non dicenda loqui cur tempora cogor ?
 Ah ! quibus illustris vulgò nos fama periculis
 Objectat ! quantò nomen felicius illud
 Quod tutis obscurum umbris tacitumque latescit !
 Exemplo monitus , ne credere vera repugna :
 Successus clari , dotum numerosa facultas ,
 Sæpe repentinam morum traxère ruinam .
 Sed non tanta fuit tam stricis finibus arcta
 Gloria ; fama volans totum diffusa per orbem
 Nannetes generosa tulit præconia laudum .
 Hic Benedictinis florescit nobilis ædes

Quæ, novitatis amans, rumoribus obvia currit.
 Ergo prior novit volucris memorabile nomen ;
 Cernere jam venit furor et pernoscere vera :
 Utque puellarum furit æquior igne cupido ,
 Vestales pungit gravius male sana cupido.
 Vertitur omne caput , fugiunt jam cuncta Nivernum
 Pectora ; jam properant domui scripsisse beatæ
 Ut Ligeris celeres volucris transvecta per undas
 Cœnobij votum cumulet famâque fruatur.
 Mittuntur mandata ; dies responsa reducent
 Bissenî : sed sunt totidem expectantibus anni.
 Instat epistolio nova semper epistola. Somnus
 Nannetes fugit : languet , morietur Agatha.

Terrifica en tandem veniunt mandata Nivernum !
 Materies gravis est ; in discretoria currunt ,
 Consulitur. Talis stupefactas nuntius aures
 Percellit : » quid nos miseræ fata invida poscunt ?
 » Perdere VIRVIRIDEM sors lætho tristior. Arris
 » Turribus heu ! vivæ dum nos tumulamur , amata
 » Si volueris discedat , erunt quæ gaudia nobis ? »
 Junior his queritur dictis nova turba sororum
 Cui cor fervet adhuc , licitoque patescit amori ,
 Segni defessum vitâ clathrisque molestis ;
 Cuique , alius cum deficiat cupientibus ales ,
 Psittacus adversum fastidia debitus ales
 Unus erat ; statuit vetularum turba potentum
 Pectore frigidior : » Nannetes usque vehatur
 » Dulcis pupillus , ter quinque solibus actis

» Sacri cœnobii lætas rediturus in arces ;
 » Ne durâ æternùm Stomachentur fortè repulsâ
 » Poscentes ». Censet muliebris talia cœtus.
 Quod postquàm vulgi consultum venit ad aures,
 Ædes turbatur , fremuerunt claustra dolore.
Heu clades ! pedibus decretum in tale quis iret ?
Crede num fas est , miseranti pectore clamat
 Seraphina soror , *cœlesti vescimur aurâ ,*
Vivimus , et parat ire procul dilecta volucris !
 Terque quaterque gemit soror Augustina dolensque
 Pallescit , jacet examinis , vox faucibus hæret.
 Omnia luctus habet. Mens quædam præsaga veri
 Tristia præsentit , cursumque coloribus atris
 Fatalem pingit. Crudelia somnia noctis
 Formis horrificis terrorem lucis adaugent.
 Sed fletus vani nimium ! venit hora , parantur
 Omnia : discessus momentum tristius urget ,
 Jam cœpit mœstas cruciare absentia matres.
 Ac veluti densâ cypressi turtur in umbrâ
 Luget , et amissos frustrâ suspirat amores ;
 Sic soror omnis adest orbæ fastidia vitæ
 Deplorans. Tibi quot tribuuntur basia , pulcher
 VIRVIDIS , quot te questus comitantur euntem !
 Arripiunt , lachrymisque rigant , et relinquere tectum
 Dum magis hora instat , formosæ gratia major
 Esse videtur avi. Sed tandem mœnia templi
 Exsuperavit , amor simul effugit omnis ab æde.
 » I nunc , VIRVIDIS , quâ pulchrum gloria , nate ,
 » Monstrat iter , lepidusque redi , semperque fidelis.

» Te per aquas rapidus crepitante Favonius aurâ
 » Pervehat , expectans ego dum languesco , molestâ
 » Heu ! vitam degens , exul miseranda , quiete.
 » I , vale , VIR VIRIDIS , cursuque venustus in omni ,
 » Natali profugus Cypro videare Cupido «
 Sic virgo lacrymans longum vale suspiravit ,
 Quæ sæpé ex oculis , languorem ut falleret ægrum ,
 RACIPIO expulerat longæ fastidia noctis ,
 Quæque libens esset volucrem comitata migrantem.

At navem ascendit, blanda hactenûs atque modesta,
 Et commissa rati cursus init alma volucris.
 O utinam posset virtutem in claustra referre
 Cladibus ereptam multis !..... Jam cærulea verrunt
 Certatim nautæ , jam magnis ictibus acta
 Unda fremit ; lenis tumida inflat carbasa ventus ;
 Discedunt ; oculis decrescit liater ; abivit.

V E R S A A J O U T E R .

*Il avoit été omis dans la Copie du Manuscrit,
 qui a servi à l'impression.*

Page 6, après le 5^e. Vers, lisez :

Hæc præcepta mihi quondam sincera dedisti

